

Icones herniarum / Editae a Sam. Thom. Soemmerring.

Contributors

Petrus Camper
Samuel Thomas von Sömmerring

Publication/Creation

Francofurti ad Moenum : Varrentrapp et Wenner, 1801.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sbeye83g>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

F 225









PETRI CAMPERI

ICONES HERNIARUM.

EDITAE

A

SAM. THOM. SOEMMERING.

FRANCOFURTI AD MOENUM,

APUD VARRENTRAPP ET WENNER.

MDCCCL.

PETER CAMPBELL

ICONS HERBARIUM

BY SAM THOM FORNBERG

PRINTED BY J. H. BROWN
AT THE PRESS OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
CHICAGO, ILL., 1900

SOCIETATI LONDINENSI

AD LEVANDOS HERNIOSOS PAUPERES

P. CAMPERI ICONES HERNIARUM

DEDICAT

EDITOR

S. TH. SOEMMERRING.

SOCIETAS LONDINENSIS

AD LEVANDOS HERNIOZOS PAUPERES

P. CAMPERI ICONES HERNIARUM

DEDICAT

EDITOR

J. T. SOEMMERLING

PRAEFATIO EDITORIS.

Petrus Camper, summus ille medicus, dum Lancuni anno MDCCCLXXVIII. hospitio eius exceptus, studiorum causa, apud eum versabar, pro eo, quo me ad obitum usque prosequeretur, paterno fere amore, non modo dono dederat ectypos iconum, quas hic exhibeo, sed etiam sua manu explicationem adiunxerat. Singulari prorsus harum iconum veritate, elegantia et utilitate captus, easdem quavis data occasione sedulo cum natura comparans in dies magis magisque mirabar. Mirabantur mecum et omnes harum rerum gnari, quibus easdem monstraveram, optantes simul, ut quantum possem, conferrem ad earum editionem accelerandam. Quocirca non destitui ore et literis cum orare, ut ante dimidium fere seculum multo studio multisque sumtibus non modo paratas, sed etiam omnibus numeris absolutas tabulas publici iuris faceret. At novis quotidie negotiis publicisque curis impeditus earum editionem distulerat, donec inopinata et praematura morte orbi literario eriperetur.

Adrianum ergo, filium eius clarissimum, ad quem literarii thesauri patris transierant, rogavi, ut harum iconum editionem mihi permitteret. Annuit votis vir humanissimus, tabulasque illico misit, cum omnibus, quae circa easdem scripta reliquerat pater.

Summopere laetabar, explicationem iconum ipsius manu scriptam exstare, eamque tam integram, ut vix quidquam addiendum haberem. Praeter hanc explicationem aderant et Caput primum, secundum et tertium, quae uti inveni, exhibeo.

Notum est medicis doctis, quantum Smellie tabulae ad artem obstetriciam illustrandam et promovendam contulerint, adeo ut ab illo demum tempore ars ista salutaris rationalis dicenda sit. Celebrem autem hunc artis obstetriciae doctorem Londini in componendis tabulis Camperus non modo adiuvit, sed etiam, ideam suas enchireses cum forcipe per figuras catagraphice ductas demonstrandi suppeditavit, et decem tabulas ad ipsa obiecta calamo delineavit, prouti ipse in praefatione classici operis praedicat.

Egregie enim demonstrat Jo. Burns, artem obstetriciam maxime consistere in physiologia practica, eumque, qui genitalium structuram, graviditatis naturam partusque phaenomena optime noverit, optime etiam hanc artem exercitaturum.

Quae omnia pari modo et de herniis valent. Probe enim cognita et bene perspecta earum natura, curatio, methodusque, qua manu medendum sit, facilius intelligitur. Constat enim, verbi causa, in herniis, quas vulgo congenitas appellant, Hunterum, Pottium, Wrisbergium, Murrayum, Sandifortium aliosque tantum profecisse sectionibus anatomicis, ut, quae de illis exposuerint hi viri clarissimi, demonstrationes anatomicae fere dicendae sint.

Liceat brevibus exponere, quantum Camperus noster promeruerit de herniarum illustratione, praeter icones, quas hic exhibeo.

Anno 1759. Amsterdami in secunda editione Belgica Mauricaei de morbis gravidarum et parturientium pelvim femineam non modo masculine delineavit, sed etiam uteri prolapsum exposuit.

Anno 1762. Amsterdami in libro secundo Demonstrationum anatomico-pathologicarum tanta veritate pelvim masculinam delineavit, ut varia etiam circa herniarum naturam exinde illustrari possint.

Anno 1762. Tomo sexto Actorum Harlemensium dissertationem inseruit de causis herniarum in recens natis frequenter contingentium. (*Over de Oorzaaken der meenigvuldige Breuken in eerstgeboorene Kinderen. in Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandsche Maatschappye de Wetenschappen te Haarlem VI. Deel. p. 255.*)

Anno 1762. Tomo septimo eorundem Actorum Harlemensium continuationem eiusdem dissertationis exhibuit. (*Vervolg over de Oorzaaken etc. Verhandelingen etc. te Haarlem sevenden Deels 1. Stuck*)

Anno 1771. Dissertationem gallicam de construendis brachiis ad hernias conscripsit. (*Mémoire sur la Construction des Bandages pour les Hernies*), quae reperitur in *Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie à Paris Tome V.*

Anno 1774 eandem dissertationem de construendis brachiis ad hernias auctorem belgice edidit (*Verhandeling over het tostellen van Breukbanden. Rotterdam 8vo.*)

Anno 1775. novam methodum, chalybem ad brachia utilem indurandi in oleo ebulliente exposuit belgice, in *Diario Hedendaagsche Vaderlandsche Letteroefeningen et Verhandelingen van het Bataafsch Genootschap der Proefondervindelyke Wisbegeerte te Rotterdam Vol. I. p. 255.* germanice exstat in *Peter Campers sämtliche kleinere Schriften*, herausgegeben von J. F. M. Herbell. Erster Band. Leipzig 1784. Novum hoc inventum 1777. communicavit cum Academia Regia Scientiarum Parisiensi.

Anno 1775. in dissertatione de theoria et curatione morborum chronicorum pulmonum;

anno 1776. in Libro singulari de optima agendi vel expectandi in medicina ratione;

anno 1782. in dissertatione: *Comment le vice de différentes excréctions peut influer sur les maladies chirurgicales, et quelles sont les règles de pratique relatives à cet objet; **

denique anno 1782. in dissertatione de hydropo, (quas quatuor dissertationes recudi curavit. J. F. M. Herbell. Lingae 1800.) varia circa hernias exposuit, propria experientia ductus.

Quantum vero Auctor in delineandis artificiose partibus corporis humani praestiterit, vulgo quidem notum videtur, apprime egregium tamen in his iconibus reliquit monumentum, demonstrans, quam sedulo ipse omnes regulas observaverit, quas in celebri illa Epistola ad Magnum B. S. Albinum ingeniose exposuit.

*] Exstat etiam haec Dissertatio in *Mémoires sur les sujets proposés pour les Prix de l'Académie de Chirurgie, Tome cinquième. Paris 1799. 4to.*

Summa autem harum tabularum utilitas inde redundat, quod ubicunque vera partium corporis humani magnitudo in iconibus est servata, studio neglectis subtilitatibus, ad rectam curationem parum facientibus.

E quibus omnibus abunde patet, vix quemquam Campero nostro magis idoneum magisque instructum atque exercitatum, ad herniarum historiam naturalem illustrandam, inveniri posse.

Neque ipse ego omnino rudis ad editionem praestantissimarum harum iconum accedo, quippe non modo hernias omnis generis saepius in corporibus demortuorum lustravi, sed etiam permultos hoc morbo laborantes vel bracheriis vel cultro sanavi. Summam eorum, quae inde didici, tradidi in notis ad versionem germanicam libri: *Baillie Morbid Anatomy*. Berolini MDCCCLXXXIII.

Quae vero ad avertendas praecavendasque hernias valent, singulatim exposui in illo libro, qui anno MDCCCLXXXVI. praemium tulit Societatis Regiae Goetttingensis. Suffultus ibi simili modo rationibus et physiologia corporis nostri petitis docui hernias intellectis tantum veris causis veraque earum natura, facile satis evitari posse.

Spero ergo atque confido, hasce Camperi Icones ad frequentissimi mali veram naturam melius intelligendam, rectiorem eius curam instituendam, remotionem eius securiorem reddendam, immo ad insidiosam eius invasionem arcendam plurimum esse collaturas.

Francofurti ad Moenum
MDCCCL. Idibus Martii.

PRAEFATIO AUCTORIS.

Quod ante octo annos *) meditatus fueram opus; jam Tibi offero, Benevole Lector! herniarum inguinalium historiam anatomicam, pathemata atque chirurgiam, materiem, licet millies pertractatam, obscuram, atque nullo modo ad eam perfectionem deductam, quam desiderabamus, et qua vitium ubique terrarum terribilissimum carere haud posse videbatur; materiem arduam ac gravem, ad quam enucleandam, veterum non modo ac recentiorum medicorum sententiarum inter se comparatio necessaria est, sed etiam quam plures nacti non sunt, occasio. Oportet enim morbum ipsum millies videre, in demortuis examinare, infantes, pueros, adolescentes adultos secare, partes affectas cum sanis centies conferre, operationibus chirurgicis interesse, oportet examinare sanatos ac remedia, quae curam absolverunt; neque haec omnia sufficiunt, nisi fascias ac subligacula in pueris, in adultis, in omnis generis artificibus. in diversis sexibus, aetatibus ac constitutionibus ipse construas atque applices. In omnibus eadem auxilia non iuvant, neque, quale adhibendum, facile eligitur, nisi omnes machinas cognoscas, quas excogitarunt chirurgi.

Exhibeo igitur, quae ex magno cadaverum numero collegi, et quae in vivis expertus sum. Ipse centena subligacula ex omnimoda materia construxi, mutavi, correxī, ne ab artificibus chirurgisque lucrum inde quaerentibus dependerem; et, ut horum machinamentorum naturam et vim publici iuris facere possem, autopsia munitus. Praebuit mihi ingentem numerum herniosorum Franequera, sed infinitum haec Hollandiae metropolis. Debeo non modo his occasionibus plurima, et forsā omnia, quae hoc libro continentur: sed nunquam tantum cadaverum

omnis aetatis numerum examinare contigisset, nisi Perillustissimi huius Urbis Consules meis votis succurrissent. Praeter cadavera, quae publice in theatro publico ac privato seco, concessere omnia in nosocomio St. Petri, quod omnes aegros pauperes recipit, inspiciendi copiam, si morbi natura nostra indagine digna videretur, summa qua benevolentia ac providentia libertatem suorum civium non modo sibi curae cordique esse, sed et sanitatem testari voluerunt. Omnes, quos inde collegi, fructus, Eorum providentiae et benevolentiae debeo.

Auctorum clarissimorum monumentis usus sum, multa me procul dubio latuerunt; omnes enim pervolvere libros penitus impossibile est: nova itaque vocare licet, quae ab aliis non audivi, neque scripta legi.

Figuras anatomicas ad ipsa objecta delineavi, quas *Celeb. van der Schley* mirabiliter in aere imitatus est.

De bubonocoe sola scribo, quoniam nihil certi mihi de hernia femorali constat. Frequentem hanc esse in feminis, etiam in viris, novi, iisdemque symptomatibus premi; sed nondum mihi licuit attente secare femoralem herniam: consultius ergo duxi, nihil omnino de hac speciali hernia dicere, quam repetita ac obscura proferre.

Divisionem totius operis in Libros tres commodissimam esse iudicavi. Primus anatomicas administrationes ac usum partium, alter symptomata herniarum, tertius medelas continet.

*) Libri primi tria tantum capita a Petro Campero elaborata exstant. Liber secundus et tertius deficiunt.

Vix autem mea eget annotatione, has partes a Perillustri Richterō, quem et doctorem et amicum singularem venero, ad summum perfectionis gradum esse perductas, deque gallica editione huius operis A. Rougemont promissae.

*) Scripta videtur haec Praefatio Amstelodami ante Annum MDCCCLX.

EXPLANATIO TABULAE PRIMAE ET SECUNDAE.

Exhibet haec tabula simiae Cynocephali abdomen apertum. Lineas tabulae primae exhibet secunda tabula, ne literae inscriptae figuram obscurant.

Hepar.

A.A.A. B.B.B.B. C.C. D.D. E.E. F.F. G.G. H. I. Hepar sex lobis divisum. Lobus maximus est A.A.A. triangularis, concavus parte inferiori A.A. Huic subiacet alter lobus E.E. tenuis. Tertius lobus B.B.B.B. quadrangulus, in cuius concava parte vesica fellea oblonga tenuisque I. locatur. Quartus lobus C.C. praecedentibus minor, in hypochondrio sinistro delitescit, inter hunc ac tertium lobum situm est ligamentum latum hepatis G.G. Quintus lobus D.D. latus, sed tenuis, ac concavus. Sextus lobus F.F. omnium minimus, lobulo Spigelii haud absimilis, nisi quod ab hepate maxima parte sit separatus.

Capsula Glissonii H., ligata et abscissa repraesentatur.

Renes, Ureteres, Vesica urinaria.

K. Ren dexter altius situs sinistro L. In nullo animali hanc differentiam adeo magnam observavi.
M. Ren succenturiatus sinister, parvus ratione renum, qui insignes erant, animal autem provectae erat aetatis.
O.O.O. Ureter dexter.
N.N.N. Ureter sinister.
O.N.P. Vesica urinaria reclinata, ossa pubis obtegens, vacua, ut partes reliquae manifestiores sint.

Vasa sanguifera.

Vena cava amplum illud vas est, quod inter F. E. O. M. et N. situm est, cum vasis emulgentibus ilia versus descendit, donec arteria aorta obtegatur versus m. dat ramum spermaticum dextrum h. l. n. Emulgens autem sinistra spermaticam venam sinistram i. h. h. excipit, quemadmodum in hominibus, caeterisque animalibus, propter venae cavae situm a dextra vertebrarum parte.

Venae spermaticae fasciculi erant pinguedinosi, hinc insigniores facti, arterias penitus involvebant. Eas ideo non exhibui, neque earum originem ex aorta, quia scopus erat, demonstrare *meatum* sive *pororum* Galeni ostia, non vasa, quae cognita satis sunt, ac nihil singulare ferunt; accedit quod, quantum potui, peritonaeum servavi, de quo postea.

Vesiculae seminales, ac vasa deferentia.

In tabula prima satis clare apparet cavitas pelvis, quae in hoc masculino animali angusta erat. Intestinum rectum S. S. ligatum abscidi; inter illud ac vesicam urinariam O. P. N. duae vesiculae seminales insignes f. g. e. g. a vesica urinaria penitus distinctae, in conspectum veniebant, reclinato urinae receptaculo, cellulae manifestae erant, turgebantque liquore prolifico.

a.d. vas deferens dextrum, b. c. sinistrum, utrumque amplum. Punctis vasa deferentia notavi, ut facilius a reliquis vasis distinguantur.

Porus Galeni.

Datur in utroque latere abdominis foramen sive ostium insigne, tubum quatuor linearum et ultra facile admittens, a. et b. peritonaeum illud intrat atque investit; vasa spermatica l. n. ac vas deferens d. a. in dextris, h. h. b. ac c. b. in sinistris peritoneo obiecta, similiter hos meatus intrant. Peritonaeum ibidem plicas laxas efficit e. a. u. ac t. b. s. quae certo modo tensae, valvulae cuiusdam semilunaris speciem prae se ferunt. Peritonaeum ibi processum efficit, qui ad testiculum delapsus hunc amplectitur, de quo vide Tabulam tertiam.

Hoc modo se habet meatus huius ostium in omnibus animalibus, quae examinare licuit, in simiis diversis, in equis, in canibus, in infantibus recens natis, de quibus postea.

Reliquarum literarum explanatio.

V.W. Funiculi spermatici, dexter et sinister, duplici cremastere prospecti, de quibus musculis vide Tabulae tertiae figuram 2. d. e. q. r. s.
T. U. Testiculi, dexter et sinister.
Q. R. Musculi Psoae, dexter et sinister.
Y. Y. Musculus gracilis.

X. Musculus rectus abdominis reclinatus,

Reliqui musculi abscissi, ut sartorius a. inter quem et partem recti resectam iacet iliaci interni tendo z. s. adductor magnus, z. adductor longus, s. rectus cruris cum vasto.

z. Cartilago ossium sterni scutiformis, verum scutum referens.

γ. β. Thoracis partes.

z. γ. y. z. Abdominis partes internae, peritoneo vestitae.

TABULA TERTIA.

Eiusdem simiae Cynocephali, quae tabula prima depingitur, partes genitales, ac praecipue annulum musculorum abdominalium, cremasterumque musculorum originem veram exhibet.

FIGURA PRIMA

Depingit anteriorem ac dextram ossis ilium ac pubis partem, musculos annulum abdominalem ac cremasteres efformantes; etiam integrum *porum*, sive peritonaei processum, aëre distentum.

a.b.c.d.g. Tendo musculi obliqui externi abdominis, lata superficie *b.c.g.* se ossibus pubis inserens.

m. Musculus obliquus ascendens abdominis, ex anteriore ossis ilium margine ortum trahens.

e. Iliacus internus cum *psa*.

Apertura hic magna datur inter *psa*m, iliacum, ac obliquos abdominis musculos, quae admodum infirma esset, nisi clauderetur partim pyramidalis musculo, insigni in hoc animali, ac aponeurosi.

c.g.q.p.r.s.u. Testiculus processu peritonaei inclusus, membrana externa firmatus, ac duobus cremasteribus. Transparet testiculus *r.r.* ac funiculus spermaticus *s.s.u.u.*

Notavimus, duos esse cremasteres; unum *l.n.c.* *o.r.p.q.* ab anteriore margine ossis ilium, cum musculo obliquo ascendente oriundum, cui etiam firmiter adhaeret *l.n.* tendine obliqui descendens obtegatur *e.f.* dein ad exteriora testis decurrit *c.o.o.r.q.p.* sese expandens, ac inserens membranae exteriori processus, quae ab aponeurosi musculorum exteriorum abdominis producitur. Alter cremaster *u.u.* minus conspicuus est; ambo manifesti sunt in figura secunda.

Annulus.

Annulus autem a duorum musculorum aponeuroticis partibus fit, longus est, fissurae non absimilis *f.d.g.* per quam funiculus spermaticus, taeniae instar latus, cum cremasteribus transit, clauditur vero aponeuroseos processu, tenui ac pellucido adeo, ut pyramidalis transluceat.

i.i. Arteria cruralis.

k.k. Vena cruralis.

FIGURA SECUNDA.

Haec figura ad maiorem perspicuitatem priori addenda adiecta est. Sublatus est musculus obliquus descendens abdominis, ac collapsus processus peritonaei.

a.b.c.d.e. Musculus cremaster ab osse ilium oriundus.

o.p.q.r.s. Musculus cremaster alter, ab osse pubis oriundus in *o.*

f.g. Membrana, sive involucreum, ab utroque musculo obliquo abdominis procedens, cui cremasteres inseruntur.

h.i. Latus musculi obliqui externi abdominis tendo abscissus ac reclinatus. Vide Fig. I. *b.c.* qui inseritur ossi pubis *i.h.*

k. Musculus adductor femoris longus.

l. Musculus pectineus.

m. Vena cruralis.

m.n. Vena epigastrica interna.

t.y. Arteria cruralis.

y.n. Arteria epigastrica interna.

x. Musculus sartorius.

w. Musculus tensor vaginae femoris.

z.h.n. Musculi pyramidalis origo ex superiore ac lato margine ossis pubis. Hic musculus insignis est in hoc animali, fere ad umbilicum usque ascendens, veram pyramidem referens.

FIGURA TERTIA ET QUARTA

Meatus apertos exhibent, ut videri possit processus peritonaei, qui amplectitur vasa spermatica, eaque laxependula veluti quodam mesenterio tunicae, sive involucreo testis adnectit.

A. A. Vasa spermatica resecta. (Fig. III. et IV.)

B. B. Epidydimis. (Fig. III. et IV.)

C. B. Q. E. P. D. Integra epidydimis, e vasculis constans. (Fig. IV.)

E. F. Vas deferens. (Fig. III. et IV.)

K. I. N. M. Meatus apertus.

G. A. L. Mesenteriolum.

H. K. Cremasteres.

M. N. Inferior meatus pars resecta.

E. P. O. Pars, qua epidydimis tunicae sive involucreo adhaeret.

Patet, peritonaeum, quemadmodum intra abdomen, omnium harum partium superficiei constituitur membranam, ac vasa spermatica intra duplicaturam eius sita esse, ut intestina.

TABULA QUARTA

Herniae inguinalis, (*enterobubonocetes*) cum hydrocele coniunctae, exponit figuram.

Vir quinquagenarius Anno 1754. d. 22. Junii hernia incarcerata laborabat, quam sequenti die arcessiti post venae sectionem bis repetitam restituimus. Symptomata, licet reducta essent intestina, perseverabant, mortuus est nocte sequente. Aperuimus, ac abstulimus herniam cum vicinis partibus. Hanc cum abdominis parte inferiore exhibemus. Notare autem opportunum erit, aperto abdomine ingentem sanguinis acris, tenuis, loturae carnis instar prosiluisse, intestina omnia gangraena fuisse affecta. A.B.C.D.E.F.G. Cutis inguinum ac scroti resecta, et reclinata.

H.I. Annulus abdominalis, hernia dilatatus.

H.K.N.M.I. Tumor herniae, membrana, cui cremaster inseritur, crassiore facta vestitus, quemadmodum semper in casu simili accidit.

Pinguedo multa hinc inde adfuit, uti inter M. et L.

K.L.M. Tumor testis, cuius tunica vaginalis colluvie serosa laboravit.

N.O.P.M.Q. Resecto cremasteris involucri, saccus herniae R. ac tunica vaginalis testis S. in conspectum venerunt.

T.U. Funiculus spermaticus sinistri lateris sanus, ut comparari possit cum latere affecto.

V. Glandulae inguinales lateris sinistri.

W.X.Y.Z. Glandulae inguinales lateris dextri.

TABULA QUINTA.

Eadem, quae quarta, exponit, saccum herniae a vasis spermaticis separatum, ac complicatum, ut vasorum decursus appareat.

FIGURA PRIMA.

- A. B. Musculi pyramidalis portio.
- C. Arteria epigastrica interna.
- D. Vena epigastrica.
- E. Vas deferens.
- G. Vasa spermatica, pone saccum decurrentia.
- I. K. Ostium sacci herniae amplum, tres digitos facile admittens.
- L. M. N. Saccus herniae integer reclinatus.
- G. H. Q. R. Vasa spermatica crassa, pinguedine involuta, multum distant a vase deferenti.
- E. F. Y. O. P. Vas deferens pone vasa spermatica H. decurrens.
- Y. U. Z. Pars involucri cremasteris, in tabula quarta I. K. F.
- W. V. X. Testiculus cum epididymide W. X. aquis immersus.
- Y. S. T. Z. U. Tunica vaginalis testiculi hydrope turgida.

FIGURA SECUNDA.

Haec figura explicat decursum vasorum epigastricorum pone saccum herniae, etiam pone vasa spermatica, idque in omnibus, quoscunque secui, inveni. Nunquam itaque laedi possunt in operatione.

Pleraque literae eadem, quae in figura prima, designant.

- A. B. C. Arteria epigastrica pone funiculum, vasa spermatica C. et vas deferens E. ad abdomen abiens.
- D. Vena epigastrica.
- E. F. Vas deferens pone saccum herniae, ante vasa epigastrica vero decurrens.
- G. H. Vasa spermatica ligata, pari modo sita ac vas deferens.
- I. K. Ostium sacci herniae.

TABULA SEXTA ET SEPTIMA.

Herniae inguinalis lateris sinistri anatome, Franequerae facta Anno 1754.

Vir quadragenarius morbo, quo occubuit, emaciatus hernia laboraverat in inguine sinistro satis magna, cuius integrum saccum figura prima exhibet, altera separatum, ut vasa spermatica appareant.

Musculi.

A.B.C.D.E. Musculus obliquus descendens sive externus abdominis, in quo notanda A.E.F. tendinis eius insertio in parte E. ossis pubis, cuius pars A.F.E.G. membrana cellulosa multa tecta est.

D.^{α.β.γ.δ.ε.} Alter tendo eiusdem musculi herniam subiens, et tuberculo ossis pubis insertus, formans ligamenti speciem, quod Fallopii dicitur, contiguus est aponeurosi sive femoris vaginae (fasciae latae) in parte ilium ossi proxima, nempe $\epsilon\zeta\eta$; quod maxime est conspicuum, si protinus membrana cellulosa cum cute separatur.

Hisce duobus tendinibus annulus formatur E.^{α.β.} D. musculi fibris a se invicem divisis, ut in $\beta\gamma$ et $\gamma\delta$ evidens est. Non tamen a se invicem dividuntur, ut seorsim decurrant, aut facile vi adhibita disrumpantur; fibrae aliae e contra eas iterum connectunt decussando, primo descriptas. Immo in herniis, praesertim incarceratis, hae fibrae plane transversim prorepunt, limbum efformantes, ut in E. α D. videre est.

Limbus hic constringit anulum et intestina prolapsa, et in operatione rescindendus est. Natura harum fibrarum prorsus tendinea est, in diversis cadaveribus diversa, ut et earum decursus.

F.^{α.β.} Aponeurosis musculorum obliquorum, rectum abdominis investiens.

$\chi\lambda\mu\mu\epsilon\zeta\eta\theta$ Dentes carnei musculi obliqui externi in aponeurosin mutati, in omnibus diversi, id est, figurae inconstantis.

H.I.K.L. Musculi psoae in tendinem communem L. abeuntes.

M.N.O. Iliacus internus.

P. Adductor longus.

Q. Gracilis.

R.S. Tensor vaginae femoris.

T.T.T.U.V.VV. Rectus abdominis, V.VV. eius tendo latus, pubi insertus.

Ossa.

X.Y. Os pubis pelvim a latere efformans.

Z. Corpus vertebrae primae lumborum.

$\alpha\alpha$.C. Cristae sinistri ossis ilium extremum anterius, aponeurosi tensoris vaginae femoris tectum.

16.17.18. Crista dextri ossis ilium.

Vasa.

a.b.c. Venae pudendae externae ramus, qui semper secatur in operatione herniae incarceratae, cuius meminit le Dran in Traité des operations. Is sub penis cute oritur, et sese per membranam adiposam c dividit. Vide eius ortum in Tabula decima tertia.

d.e.f.g.h. Arteria et vena epigastrica pone vasa spermatica i.h. decurrentes, posticae parti musculi recti vasa impertientes.

i.k.l. Arteria et vena, et vas deferens, partim peritonaeo m.n.Y. tecta.

u. Funiculus spermaticus lateris dextri.

Glandulae.

21.22.23.24.^{α.β.γ.δ.} Glandulae inguinales aponeurosi musculorum femoris et pinguedinosae membranae $\epsilon\zeta$ inhaerentes.

Partes genitales, cutis etc.

x.y. Ligamentum penis.

z. Corpora cavernosa.

1.2.3. Penis. 5. Praeputium.

4.5.^{α.β.} Cutis scroti et inguinis reclinata.

6. Testiculus sinister.

w.w. Cutis corrugata.

19.20. Vesica urinaria.

13.14. Femora.

15. Vasa cruralia, propter emaciationem in femore dextro translucuntia.

Peritonaeum.

m.n. Peritonaeum vasa spermatica obtegens, e pelvi proveniens.

Y.o.p.q. Peritonaeum, vesicae urinariae fundum vel potius acumen, maxime a parte postica, obtegens.

r.S.v. Peritonaei pars dextra abdominales musculos intus tegens, hic partim repraesentata.

Diverticulum.

t.i.s. Diverticulum, intra quod intrabant vasa spermatica. Non dubito, quin hernia laboraverit ab ea parte in iuventute, forsitan in infantia? Saepius simile quid observavi pennae anserinae amplitudinis alte in abdomine ortum, desinens in annulo externo, estque id, quod Bidloo et maxime Cowper animadverterunt in Tabulis.

Hernia.

E.^{α.β.}D.25.26.27.8.7. Hernia musculo cremastere tecta, rugosa, 9.10.11.12. collapsa, tantum cute orba; hinc manifestum, anulum cohaerere cum cremastere, in parte 7. D. et E. 9. Sane sine lacione inde separari nequit. Inde non improbabile, cremasterem etiam ab obliquo externo oriri?

TABULA OCTAVA.

Eandem exhibet herniam, quam tabula septima; apertus est cremaster, ut peritonaei saccus, spermatica vasa et testiculus appareant.

FIGURA PRIMA.

Hernia.

α.β.γ.δ.ε. Peritonaei saccus aëre distentus, pinguedine hinc inde tectus, pellucens.

α.β.γ.δ.ε. Cremaster apertus, ut conspicua forent

ζ. Testiculus,

η.θ. Vas deferens, ab arteria et vena spermatica separatim, primo introrsum, mox pone herniam decurrens,

θ.ι.κ.λ. Vasa spermatica ab anteriore parte, et a latere sacci peritonaei decurrentia,

Vasa.

30.29. Arteria cruralis,

28. Vena cruralis,

28.D. Vena epigastrica,

29.D. Arteria epigastrica,

29.π. Arteriae cruralis ramus, abdomen intrans.

Ligamentum Fallopii.

D.π.ε. Ligamentum Fallopii.

Reliquis literis eadem partes designantur, quae in tabula antecedente, v. c.

A. E. Musculi obliqui externi abdominis particula.

ε.ζ.η. Annulus sic dictus abdominalis.

A.α.γ.β.1.2.3. Penis. α.γ. Ligamentum eius, 1. 2. cutis eius, 3. praeputium. 4. 5. Cutis scroti et inguinis reclinata.

d.e.f.g.h.ι. Arteria et vena epigastrica, in musculo recto abdominis reclinato decurrentia.

20. Vesica urinaria.

o.p. Peritonaeum vesicae urinariae fundum tegens.

t.i.s. Diverticulum cutis, intra quod vasa spermatica (s.) intrant.

22.23.24.π. Glandulae inguinales panniculo adiposo inhaerentes.

FIGURA SECUNDA.

Pueri aliquot annorum herniam inguinalem dextram exhibet.

A. B. Annulus abdominalis.

C. D. E. F. Cremaster apertus.

C. U. W. Q. Peritonaeum aëre distentum.

H. F. G. I. Scrotum.

K. L. Penis.

R. V. N. M. Testiculus. R. V. N. Epididymis.

V. S. T. U. Vasa spermatica retrorsum, dein pone herniam incedentia.

N. O. P. Q. Vas deferens, a latere antrorsum progrediens.

Corollarium ex his figuris.

Patet manifesto, sectionem herniae in directa linea, parallela lineae albae abdominis fieri debere, secundum longitudinem sacci herniae, neque semper ad fundum sacci esse protrahendam; nam in Figura secunda patet, vasa spermatica primo ascendere, dein separatim a se invicem incedere.

Porro, ad sanationem facilitandam scroti et peritonaei saccum non esse abscindendum, quod veteres et Sharpus docuere: nam in primo casu vasa spermatica, in altero vas deferens fuissent resecta; quod idem foret, ac si testiculus totus amputaretur.

TABULA NONA.

Tabulae nonae Figura prima et secunda, tabulae decimae et undecimae Figura prima ac duodecima eiusdem cadaveris, eandemque herniam exhibent, sed progressive partes detegunt. Duplex autem iis scopus fuit, demonstrandi, herniae saccum esse peritonaei propagationem relaxatam ac prolapsam; secundo vasa epigastrica multis modis periclitari in operatione. Hae omnes figurae depromptae sunt e cadavere senis admodum obesi, aqua per infortunium submersi. Licet hernia satis magna esset, eam cohibuit pila lignea, cuius figuram vide tabula decima quarta fig. 1. et 2.

FIGURA PRIMA.

Bubonocoe dextri lateris:

A. B. C. D. Annulus abdominalis dilatatus, C pars, quae pubis synchondrosi ac pinguedini C. E. inseritur, D. tendo, qui tuberculo ossis pubis adnectitur.

Fibrarum aponeuroticarum, e quibus construitur annulus, decussationes manifestae sunt in A. B. G. ac C. B. H. Eas etiam in Tabula sexta exhibuimus ac septima. D. β. α. β.

I. K. Linea alba abdominis.

K. L. Ligamentum penis.

N. L. M. Corpus cavernosum penis.

O. P. Q. Pars cutis inguinis reflexa.

R. Glandula inguinalis insignis.

S. T. Testiculus cremastere ac eius involucri, ut et tunica vaginali tectus.

a. b. c. b. e. d. f. b. f. i. g. h. l. g. S. i. k. Fibrae musculares rubentes musculi cremasteris, in fasciculos collectae, diversimode decurrentes.

FIGURA SECUNDA.

A. B. C. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. ut in figura prima.

Inflavi saccum herniae, aëremque retinui, ut herniae magnitudo appareat.

F. A. Inguen.

B. V. Longitudo sacci herniae, distans admodum a testiculo, desinit enim P. V. U.

Cremaster iam magis dispersus est, uti patet ex eius fasciculis α. β. γ. δ. ε. ζ. η. hic videtur a. b. in figura prima, alter f. i. g. h. α. β. videtur esse c. b. et α. β. coincidere cum c. d.

TABULA DECIMA

Peritoneum nudum exponit, saccum herniae, vasa epigastrica, rectum abdominis musculum ac pyramidalem. In figura lineari prima tabulae undecimae partes singulatim adnotantur, simulque sistuntur incisurae, quas in operatione bubonocoeles fieri oportet.

FIGURA PRIMA.

Musculi.

Q.h.R. Musculus pyramidalis.

S.U.T.O. Musculus rectus abdominis, S.U. pars tendinea eius.

L.m.M.Q.h. Musculi obliqui descendentes sive externi pars reclinata, Q.h. tendo a tubere ossis pubis h. oriundus.

P.V.G. Musculus obliquus ascendens ac transversus, similiter ac descendens, reclinati.

Vasa.

F.O. Arteria epigastrica. K. et L. eius rami.

M.O. Vena epigastrica. N. ac L. eius rami.

Haec vasa pone herniam decurrunt, quod ex sequenti tabula evidentius liquet.

Y.X. Vas deferens.

a.b. Vasa spermatica.

Genitalia.

f.g. Cutis. Vide in tabula nona O.P.Q.

c.d. Ligamentum penis.

c.e. Pars lateralis.

Z. Testiculus dexter.

a.b.X.Y. Funiculus spermaticus.

y. Distantia inter vasa spermatica et vas deferens.

Peritoneum et herniae saccus.

P.G.O.M. Peritoneum nudum translucens, pinguedine hinc inde obsessum.

W.w.u.v.s.t. Intestina tenuia, quae propter ipsorum et peritonaei tenuitatem facile videntur.

Pinguedo similiter inaequalis ac in moleculas divisa saccum herniae obtegit. Saepe moleculae hae diagnosin obscuram reddunt, praesertim si magnae sint.

Maioris momenti est G.F. vestigium ipsi impressum ab annulo musculorum abdominalium. Vidi in strangulata hernia hanc partem condensatam, peritoneum ulterius prolapsum, ac duplicem quasi strangulationem, primam in annulo ipso, alteram factam a contracto ac in taeniam condensato G.F.

G.i.C.X.M. Saccus herniae, qui peritoneum est dilatatum.

In eadem figura schema incisionum herniae sacci ac annuli exhibere volui; supponere itaque oportet, primum scrotum ac cremasterem aliaque involucra esse aperta, et herniae saccum penitus nudatum.

Incisio inchoatur media parte inter A. et C., producit sursum ac deorsum versus C. ac A.; hisce peractis quaeritur, quomodo annulus aperiri debeat, ne vasa epigastrica laedantur.

Tripliciter annulus constrictus solvi potest, cultrum dirigendo directe sursum A.B., secundo sursum, lineam albam abdominis versus in directione A.D., ultimo sursum extrorsumque, cristam versus ossis ilium.

Ponamus, incisionem requiri pollicem cum dimidio longam, omnesque circumiacentes partes esse immobiles. Ex figura itaque patet, sectione A.D. vasa epigastrica necessario resecari H.D., reliquas vero incisiones periculo vacare. Unde facile colligitur, annulum directione A.B., vel A.E., vel alia quadam intermedia aperiri posse ac debere; id tamen simul notare convenit, vasa epigastrica laedi non posse, etiamsi eo usque secaretur.

Figura secunda, tertia et quarta tabulae decimae, depromtae ex infante masculo recens nato, quem die 5. Januarii 1759. dissecui, exhibent meatus duos, dextrum integrum, sinistrum funiculum solum ambientem. Integumenta abdominis inguinum et scroti ablata ac aperta sunt, ut pudenda conspiciantur. Penem characteribus notare nolui, neque eius ligamentum, quia manifestum erat, penis dimidiam partem cute ac praeputio esse tectam.

FIGURA SECUNDA.

A.B.C. Meatus dexter aëre distentus apparet; in parte c. strictura, quae sensim magis et magis contracta funiculo spermatico adhaeret.

D.E.F. Meatus sinister, cuius pars F. iam funiculo accreta, tunicam vaginalem testis E.F. propriam format, ac vaginam funiculi F.D.

Tunica vaginalis testis E.F. gelatina subrubella turgebat; testiculus sub maculae obscurioris specie translucebat.

G.H.G.I. Pyramidales musculi.

K.L.M. Cutis scroti aperta.

Cremasteres nulli in his meatibus conspicui erant, licet meatus ex peritonaei propagine, cremastere ac abdominalium musculorum velamento constarent. Vasa multa sanguinea inter has membranas répebant.

FIGURA TERTIA.

A.B. Meatus dexter apertus, ut interna cavitas, quae hic integra est, videri possit.

C. Strictura.

a. Testiculus.

b. Epidydimis.

c.d. Vasa spermatica coniuncta.

FIGURA QUARTA.

D.F. Funiculus spermaticus et meatus sinistri lateris.

I.E.F. Tunica vaginalis propria testiculi.

I.E. Strictura circa funiculum concreta.

D.I.E. Tunica vaginalis spermaticorum vasorum propria.

e. Testiculus.

f. Epidydimis.

f.g. Vasa spermatica.

f.h. Vas deferens.

TABULA UNDECIMA.

Literarum Figuræ primæ linearis explicatio ad tabulam antecedentem pertinet, quorum lectores relegamus.

FIGURA PRIMA ET SECUNDA.

Abortus sex circiter mensium pelvim internam exhibent. Scopus præcipuus est demonstrare, testiculos nudos, intra abdomen, absque ullis involucris, pediculo e peritoneo facto inhaerentes mobilesque in similibus observari; vasa spermatica ac deferentia tum multum a se invicem distant. Descendit increscente foetu lente testiculus, invertitur peritoneum pediculum formans, atque extra abdomen prolapsum testiculum ac vasa spermatica ambit peritonei hic processus, ac meatum constituit. Id in multis aliis vidi.

Figura secunda lineas primæ tradit.

- A. B. Psoæ musculi A. dexter. B. sinister.
- C. D. Vertebra lumbalis tertia resecta.
- E. F. Cristæ ossium ilium, hic tectæ reclinatis musculis abdominalibus cum peritoneo.
- G. H. I. K. L. M. Colon meconio ex atro viridi plenum. Colon nondum valvulas contraxerat, quales in adultis videmus.
- H. O. N. Mesocolon.
- P. Ureter sinister.
- Q. Penis
- R. Scrotum.
- a. b. c. Testiculus dexter.
- c. n. Epidydimis eius.

- c. d. Vas deferens eius.
- e. f. Vasa spermatica eius.
- b. c. p. Pediculus eius, ex peritoneo factus, quem processum vocare oportet cum Galeno.
- h. i. h. Testiculus sinister.
- g. h. Vasa spermatica.
- o. h. h. Epidydimis.
- h. l. Vas deferens.
- m. i. o. + Alter pediculus paululum descendens, unde dexter brevior.
- q. l. v. Vesica urinaria.
- s. r. t. q. Arteriae umbilicales.
- v. t. Urachus.
- u. Vena umbilicalis abscissa.
- w. x. y. M. Abdominis partes anteriores ac internæ reclinatæ.

FIGURA QUARTA ET QUINTA

Testiculum sinistrum bis auctum monstrat, ut evidentius partes exhibeant, dextrorsum reclinatum.

- A. B. Testiculus.
- C. D. Epidydimis.
- E. F. Vasa spermatica.
- D. G. H. Processus peritonei.

TABULA DUODECIMA.

Figura huius tabulae parum differt a prima figura tabulae decimæ. Saccus herniæ elevatus depingitur, ut vasorum epigastricorum decursus evidentior sit, simulque appareat, saccum herniæ sive peritoneum dilatatum separari posse a circumvicinis, illæsis eorum partibus; pinguedo enim multa in obesitas undique peritonei propagini sive sacco herniæ adiacet. Membrum virile hic apposui, ut situs relativus melius videatur.

- Q. h. R. Musculus pyramidalis.
- S. U. R. T. O. Musculus rectus abdominis.
- M. O. L. K. N. Arteria et vena epigastrica.
- W. W. Peritoneum.
- K. Tuberculum ossis pubis, cui inseritur tendo musculi obliqui externi abdominis.
- m. M. Q. K. Inguen.
- F. a. C. s. G. Herniæ saccus. F. G. eius cervix. Moleculæ pinguedinosæ hic a postica parte conspicuæ sunt in F. G. et s.

Attentionem quoque meretur, quod hac in hernia observavi, in parte G. pinguedinis molem adeo insignem intus protuberasse, ut ovum columbinum aequet. Reducta hernia itaque tumor superesse potest, qui vel omenti vel alius rei pars habetur.

- a. b. Vasa spermatica.
- X. Y. Vas deferens.
- Z. Testiculus.
- c. d. Ligamentum penis.
- γ. δ. Penis præputio tectus.

TABULA DECIMA TERTIA.

Haec tabula inprimis vasorum sanguiferorum syntaxin prope inguen, et annuli abdominalis structuram pingit, tam in masculino, quam in feminino corpore.

FIGURA PRIMA.

Herniam intestinale cum sarcocele lateris dextri iunctam exhibet.

Fibrarum aponeurosis, musculi obliqui externi abdominis decursus elegantissime sistitur. Apparet chiasma fibrarum tendinearum, sed paululum diversum ab eo, quod tabula sexta depictum est, ac tabulae nonae figura prima.

Hernia.

Hernia ipsa collapsa est; conspicuae sunt musculi cremasteris fibrae.

D.Q.Z. Tuber ossis pubis.

D.Z.T.U. Saccus herniae ad T.U., nec ultra, descendebat.

Huius figuram de novo dare supervacuum esse duxi, quia tabula decima similis exhibetur.

T.U.V. Sarcocele est magnitudinis naturalis.

V. Epididymis.

Y.Z. Vas deferens his punctis definitur, quod a spermaticis reliquis separatum a latere interno anteriora versus decurrebat. Similes varietates tabula octava notavi.

Musculi.

a. Musculus sartorius.

β. Musculus iliacus internus.

γ. Musculus pectineus.

ι. Musculus adductor longus.

ζ. Musculus gracilis.

Vasa.

A.B.O. Vena cruralis.

C.D. Venae pudendae ramus, abdomen ascendens parte superiore D. Vena pudenda concomitatur arteriam, de qua postea.

C.G.H.I. Vena saphena.

B.E. Vena subcutanea femoris externa.

B.F. Vena subcutanea lateralis, ac inferioris abdominis partis. Omnes hi rami communi trunco B.C. e crurali oriuntur.

Varietatem vero insignem in distributione horum vasorum continuo observamus. Illud autem constans esse videtur, venam pudendam externam in saphenae truncum sanguinem suum evacuari.

A. Vena epigastrica interna.

K. Duae venae a postica parte scroti oriundae, in cruralem desinentes.

W. Vena dorsi penis, lateris sinistri.

L.N.M. Arteria cruralis.

N.O.P.Q.R.S. Arteria pudenda interna, eiusque distributio, ac coniunctio cum vena eiusdem nominis.

L. Arteria epigastrica interna.

FIGURA SECUNDA.

E feminino corpore eadem vasa proponit.

Vasa.

A.B. Arteria cruralis.

H. Arteria femoralis, musculis ramos impertiens, resecta.

I.K.L. Arteria pudenda externa.

P.S. Arteria epigastrica interna.

C.D. Vena cruralis.

E.F.G.Z. Vena saphena.

Reliquae partes.

A.R.T. Ligamentum Fallopii.

T. Tendo, qui fibris suis V.U. pubi se inserit.

T.W.V.U. Annulus, per quem ligamentum uteri rotundum decurrit.

X.Y. Sinus muliebris.

Evidenter e distributione horum vasorum liquet, in hydropicis utriusque sexus, atque in gravidis saphenam (atque vasa absorbentia) comprimi; unde in hydrope pudendorum, aequae ac in graviditate, anasarca abdominis, praesertim partium inferioris ac anterioris, ut et pedom.

Manifestum insuper est, pudendorum vasorum, tam internorum quam externorum, mutuam esse inosculatorem. An igitur ad elicienda menstrua vena saphena potius, quam alia secunda?

TABULA DECIMA QUARTA.

Sistit haec tabula ea subligacula, quae usitatiora sunt, quaeque apud chirurgicos scriptores non exhibentur. Non omnia depingere volui, quia a *Blegny*, *Petito*, *Heistero* aliisque luculenter descripta atque delineata sunt. Omnia magnitudine dimidiata in figuris exhibui.

FIGURA PRIMA ET SECUNDA.

Ex ebore, vel ligno buxino aliove paratur rotunda pila planiuscula A.B. *a.g.b.* concava parte exteriori *a.e.f.b.* cui pediculus D.C. sive *e.c.f.d.* latescens in parte C.D. *c.d.* adhaeret.

Construitur cingulum e linteo duplici, lana, corio vel simili molli materie, in utroque extremo fenestra sive rima datur, per quam petiolus *e.f.c.d.* firmatur. Assuitur deinceps alia fascia, quae per inguen ascendit, similiter fenestrata, qua idem petiolus firmatur.

Hac fascia vir obesus, cuius herniam tabula nona, decima, undecima et duodecima exhibui, feliciter eam cohibuisse videbatur. In equite similem cum successu applicatam vidi, et ipse applicui.

FIGURA TERTIA ET QUARTA.

Bracherium, e pila lignea vel subere constructum.

A.B. Lignea pila, cuius forma et crassities a latere in figura quarta conspicitur.

C. Cochlea, qua firmatur fascia F., quae per inguen traicitur.

E.D. Cingulum, cuius pars E. adsuitur laminae cupreae *p.q.*, quae pilae adhaeret, ac firmatur tribus cochleis *l.m.n.*, e chalybe factis. Altera pars firmiter adsuitur chalybeae machinae *a.b.e.d.*, dentatae inter *b.e.e.*

Datur praeterea virgula ferrea *e.g.*, unco ferreo gaudens ac capitello cupreo *e.*, in axe *g.* mobilis, quae elatere *h.i.h.* premittitur sursum. Elater praeter axem *h.* etiam in parte *i.* firmatur aenea lamina.

Firmius ut moveri possit virgula ferrea dentata, e cupro canalis quadratus Fig. IV. *o.t.v.e.*, longitudini ac crassitiei virgulae respondens, quatuor partibus *o.o.* Fig. III. (inferiores literis non notavi,) in lamina firmatur.

Clauditur itaque bracherium facile, et pro lubitu laxatur, depresso capitulo *e.*, quod in fenestra, in cuprea lamina facta, mobile est.

FIGURA QUINTA ET SEXTA.

Subligaculum simplicius, pilam rotundioram habens, ac elatere instructum.

Fit lamina aenea magnitudinis A.B., foraminibus in margine pertusa; huic adnectitur elater rectus longitudinis C.D. in angulo Fig. VI. D.C.B., maiori vel minori, pro diversa herniae magnitudine. Uncus ferreus vel aeneus G.K. Fig. V. parti lineam albam versus directae superiori ac laterali additur.

E corio turcico cingulum efformatur F.G.K., fenestra et foramine instructum in parte G., quod uncum excipit.

Ne cingulum nimium premat aut excoriet, splenia H.I. hinc inde subiiciuntur adsuunturque.

Elater C.D. similiter corio hispanico vervecino, cervino aliove obtegitur, quod adeo longum esse debet, ut fascia D.E., per inguen descendens atque iuxta nates adscendens, fibula attrahi firmarique possit, quae idcirco cingulo adicitur ad eam coxae partem, quae trochanteri respondet: ad dextram, si hernia dextrum, ad sinistram, si inguen sinistrum occupat.

FIGURA SEPTIMA, OCTAVA, NONA ET DECIMA.

Quatuor hae figurae idem bracherium exhibent a priori parte Fig. VII., a postica Fig. IX., a latere Fig. X. Machina ipsa nuda in Fig. VIII. proponitur.

Non multum priori absimile est compositum magis atque elegantius, an melius dubito. Constat, ut praecedentia bracheria, cingulo, fascia inguinali, pila mobili, elatere et lamina oblonga, quae elaterem, pilam, uncus fibulamque excipit.

A.B.C.D. Crux aenea, constans e parte verticali A.D. fusa, varie figurata, ut ex icone evidens est, fenestrata in K., unco L. instructa, ac ansa Q., fascia inguinali per ansam ducta unco firmatur. Haec, ut prior, cingulo ad coxam nequitur.

Mediis ac lateralibus huius alis, clavis L.M.N.O. ope adnectuntur partes F.B., unco duplici ac C.I. fibula gaudentes, hac, ut cingulum firmetur, illo, ut ad lubitum cingulum nequitur F.Q., cuius extremum retinetur ansa coriacea H., altera cinguli pars ansa simili G.

Pila datur rotunda, haemisphaerica P.O. Fig. VII. et VIII. et S. Fig. X.; haec laminae ferreae adnectitur, quae brachio ex eadem materia R.A. Fig. X. per axem iungitur in parte summa A. In centro laminae P.O. elevatur clavus ferreus T. Fig. X., in quo oculus seu foramen. Clavus hic fenestram K. intrat, ac firmatur repagulo aeneo N.M. Fig. VII. et VIII., quod elaterum vim coërcet.

Pars A.D. in summa parte A. *i.g.* Fig. VIII. excavata est prorsus; *i.h.g.h.* margines sunt exstantes, quibus camera quaedam *i.g.h.h.* formatur, qua laminae tres chalybeae, elasticae, imbricatim sibi impositae *d.c. d.e. d.f.* excipiuntur. Laminae illae continue reprimunt pilae brachium A. B. Fig. X. et pilam ipsam, annulum versus herniosum.

Vis autem horum trium elaterum tanta est, ut supra modum propellatur pila; ideo ansa aenea *a.b.* Fig. IX. et X. coërcetur A.R.

Integra machina linteo cerato multiplici obtegitur, coerulei vel alius coloris.

Elegans illud subligaculum est, priori Fig. V. et VI.

vix melius; si firmatur pila N.M., coincidit cum subligaculo Figurae III. et IV., si sibi committitur. Cingulum vehementer adstringi oportet, unde excoriaciones etc. oriuntur. Id autem praestat hac in machina, quod pila quiescit, licet fortius prematur. Longitudo etiam partis A.B. vim auget fasciae inguinalis, absque incommodo.

FIGURA UNDECIMA ET DUODECIMA.

Bracherium e virga elastica incurva B., chalybea, horizontali constans, clavis duobus cupreae laminae quadrangulari A. iuncta. E. Fibula. Datur deinde lamina C. paululum concava, mobilis, axe ac elatere aeneis instructa in I.

Pellitur itaque continue inguen affectum versus; cohibetur vero mora H.G.F. sive ansa G. mobili, atque nexus laminae C. ope H., mora proprie dicta datur in F.

Fascia inguinalis, perizonae assuta, fibula D. firmatur, vel loco fibulae datur capitellum, quod fasciam excipit.

FIGURA DECIMA TERTIA.

Bracherium e virga elastica ferrea A., cuius pars prior incurva A.B. descendit in cylindrum B.C. Medium eius rota dimidiata dentata D. instructum est.

Lamina altera ferrea, convexa extrorsum, pilam excipit, parti eius simae elater H. clavo iunctus est. Mobilis igitur est pila circa cylindrum vel axem B.C., potestque adduci inguen versus, dummodo prematur neque redire possit, quia elater H., a dentibus rotae exceptus, veram efficit moram. Idem idcirco hoc bracherium efficere videtur, quod bracherium Fig. XI. et XII., sed manet in eodem situ; alterius pila motu musculorum, praesertim inter ambulandum, reprimitur atque sese accommodat.

Instruitur G.F. capitellis duobus, F. pro excipiendo cingulo F. Fig. III., et G. pro inguinali cingulo E. D. Fig. III., quae vicibus fibularum funguntur.

DE BUBONOCELE SEU HERNIA INGUINALI.

Tumor inguinis, qui Bamex, Hernia, et Bubonocoele audit, duplici modo efformatur. Peritoneum vel in recens natis naturaliter meatum exhibet, qui intestina excipit; vel vi quacunque dilatatur, propter musculorum laxitatem, qui circa inguina siti sunt. Intestina autem omnia a mesenterio et mesocolo ita lumbis adligantur, ut prolabi nequeant, etiamsi nullum esset abdomen. Relaxatur vero etiam mesenterium ceditque vi musculorum abdominis ac diaphragmatis; urgetur, propellitur, propter inguinum laxitatem, intestinum, omentum, saepe utrumque. Aliquando intestinum colon, vel coecum prolabitur, frequentius tenue cum omento, raro vesica urinaria.

Necesse itaque est naturam omnium partium indagare, quatenus hernias earum retentu constituunt, etiam cum animantibus conferre, quibus Galenus usus est, vel quae ipse secui, ut Galeni anatomicis administrationibus majorem adderem perspicuitatem.

CAPUT PRIMUM.

De musculorum abdominalium annulis, ac aponeurosibus.

In hominibus, tam viris quam feminis, musculi abdominales obliqui ac transversi inferiorem anterioremque abdominis partem aponeurosibus, in tendines latos robustos abeuntibus, claudunt, locum cedentes musculis, vasis cruralibus, epigastricis, spermaticis in viris, et ligamentis rotundis in feminis; omnes accurate satis a Vesalio, Eustachio, Winslowio aliisque praeclaris anatomicis descripti sunt, optime tamen ab anatomicorum omnium principe Albino, in musculorum historia et exactissimis eius tabulis: decursus autem fibrarum ac decussatio in figuris minoribus, quae a chirurgis tamen desiderantur, satis perspicue vix exhiberi poterant. Scopus enim illustrissimi huius viri, a nostro diversus, unice collineabat originem, decursum ac insertionem musculorum in universum; noster harum partium expositionem ad herniarum curam accomodatam.

Musculus obliquus igitur externus abdominis, qua parte carneus est, membrana quadam propria, quali omnes musculi, tegitur, quae sensim in aponeurosos mutata, ac cum tendineis huius musculi partibus unita, externe ac anteriore parte abdomen tegit; finem vero nullibi habere perspicuum est, ad pubem enim se miscet cum cellulosa membrana, cum ligamento penis in viris, ac clitoridis in feminis, involucrium dat musculo cremasteri, ac aponeuroseos speciem musculis anterioribus femoris, qua glandulae inguinales, ac cruris vasa maiora obteguntur. Tabula VII. hanc abdominis partem a sinistro latere exhibui, ut et Tabula XIII. fig. 1.

Desinit obliquus externus in tendines duos, qui a se mutuo secedere videntur, continui manentes; eam divisionem Tab. VII. literis graecis αβγδ delineavi. Unius tendinis pars extrema A.E.F.G. se pubi committit: alterius extremum tendineum magis est, ab ossis ilium crista ortum crassiusque factum, sub funiculum spermaticum se abscondens se inserit tuberculo ossis pubis Tab. IX. A.D.; ac margini superiori ossis pubis inde latior tendo est, quam quidem prima fronte videtur, vide Tab. XI. fig. 1. M.Q.K., Tab. XII. M.O.K. cum synchondrosi etiam iungitur.

Eo modo fissura in statu maxime naturali se habet, annuli autem figuram dat, simul ac membrana propria et aponeuroseos integumentum, cremasterem efformantia, cultro tolluntur; evidentius autem in herniosis. Patet annulus Tab. VII. Tab. VIII. fig. 1. Tab. IX. fig. 1.

Aponeurosis ea parte, qua se findere in tendines videtur, continua tamen est, decussant se fibrae variis ac in omnibus hominibus dissimilibus modis, vix describendis. Oportet inspicere Tab. VII. βγδ. Tab. IX. H.B. A.B.G., deinde Tab. XIII. fig. 1.

In feminis, quibus, pelvis latior atque ideo tuberculorum ossium pubis maior distantia, annulus elegantior est, simul ac ligamentum rotundum et involucrium harum partium tolluntur. Tab. XII. hg. 2. e dextro latere feminae annulum ac tendinis maximi W.T.U. insertionem exhibet, et quo modo tendineae propagines os pubis ascendunt, a se invicem recedentes T.U.V., donec priori W.V.U. iterum iunguntur.

Musculus obliquus ascendens cum magno tendine musculi obliqui externi, qui ligamenti Fallopii nomine inscribitur, iungitur, multae quoque fibrae carnae ab eo oriuntur, quae non amplius ascendunt, sed partim horizontaliter, partim deorsum feruntur. Interniscet se similiter musculus transversus carnis fibris, quae musculo cremasteri originem praebent.

Annulus musculorum abdominalium proprie ab aponeurosi musculi obliqui descendens sive externi formatur, ab eius tendinibus atque fibris mutuo se decussantibus; atque ab iis solis; reliqui musculi ne fibram quidem addunt.

In herniosis fibrae modo descriptae ac Tab. VII. E.αγ. αδ. D.δ. D.ε exhibitae, a tumente hernia supra se invicem imbricatim disponuntur, ut in Tab. VIII. E.αγ. fig. II.A.B.; et in reliquis accedente inflammatione constringuntur, ac chordae durioris robur acquirunt. In herniis diu elapsis sacco crenam veluti imprimunt, quae Tab. XI. fig. 1. G.A.F. manifesta est: in incarceratis herniis cultro fortiter resistunt, neque sine crepitu insigni secantur.

Quae in hominibus reperiuntur, exhibuimus: quid

in simiis occurrat, videndum; non, quoniam illud animal partes has nostris similes obtineat, sed propter veterum doctrinam, propter immortalis Galeni anatomen, quam omnes legere, omnes sequi oportet.

Galenus annulorum memoratorum mentionem nullam facit, caruit humanis cadaveribus. Scholas medicas Alexandriae ideo laudat, quod humanorum ossium disciplinam auditoribus ante oculos ponant (de Administrat. anat. Lib. 1. Cap. 2.). Vesalius (in Exam. Obs. anat. Fallopii pag. 787.) sibi persuasissimum esse fatetur, Galenum hominem nunquam secuisse. Simias idcirco ac cynocephalos secuit, utpote hominibus quam proximos: quae de humana structura cognovit, a veteribus, ab Hippocrate, ac praecipue ab Herophilo didicit; indicat ubique, sese simiis uti, nullibi mentionem facit, se humanum secuisse cadaver. Dantur qui contrarium affirmant; qui, si simiarum anatomen cum eius accuratissimis administrationibus anatomicis contulissent, quod ego maximo cum gaudio Franequerae feci anno 1754. cum D. Georgio Coopmans, medico celeberrimo, ac T. Snip, M.D., auditoribus meis solertibus, stupendam Galeni curam, dexteritatem ac descriptionum veritatem mecum admirati fuissent.

Adhibuit duplex simiarum genus, cynocephalos ac simias, quas *medusae* vocat, quae frequentiores fuisse videntur, quemadmodum et nostro tempore. Lib. V. de Administrat. anat. Cap. VI. edit. Charteri, Tomo IV. p. 118. abdominis musculos aggreditur, non ex homine, sed simia. Stragulata enim simia etc., dein pag. 119. D.E. attamen — prima abdominis musculorum coniugatio enascitur, obliquis fibris ad ventris anteriora protendens; caeterum toti abdominis regioni per ceneonas, id est, per inania laterum expanditur, *tum ad ilium ossa, tum ad inguina uterque procedit, ac pubis ossi per membranaceum, sed validum tendinem, ante inguina ortum, inseritur* — iam hic tendo membranaceus paulo supra inguina situm obtinet, ut tenuem membranam, peritoneum quidem dictam, permeet, ac ea simul, quae ab ipso includuntur, etc. deinceps pag. 120. musculo obliquo interno similem tendinem adscribit, qui cum priori in unum coit, quos separare haud mediocris negotii esse addit.

Evidenter patet veritas huius descriptionis ex Tab. III. Fig. 1. et 2., quae hanc abdominis partem e cynocephalo exhibent.

In Fig. 1. *a.e.b.c.d.g.* est tendo ille latus membranaceus, qui ossi pubis *b.c.* inseritur, *c.o.o.p. w.u.* est membrana tenuis, peritonei propago, de qua postea Cap. 13. Libro VI. perspicue disserit.

In Fig. 2. similiter tendo *u.f.g.* apparet; expertus sum, hanc tendineam expansionem non facile separari, praesertim in simiis, in quibus vix possibile mihi visum fuit.

Interim robur circa inguen ab hoc tendine pendere p. 119. E.F. monet, atque ex relaxatione huius hernias oriri vel omentales vel intestinales.

Certum est, in hoc animalium genere omne inguinis robur ab his dependere tendinibus, pyramidalibus autem multum adiuvari, qui lati sunt muscoli in simiis, quem-

admodum in omnibus animalibus, quorum abdomen arcum, ac vesica alte supra pelvis marginem sita est.

Musculi recti abdominis similiter augent harum partium firmitatem: id tamen verum esse patet, annulos hic conspicuos non esse, quales in hominibus, et praesertim in herniosis apparent.

CAPUT SECUNDUM.

De Cremasteribus.

Cremasteres, quos nervos cavos veteres appellare videntur, e Rufi ac Celsi suffragio enucleatius examinare oportet, quia et velamenta et auxilia utrique testiculo sunt, atque de eorum natura, numero, origine ac figura multum inter se discrepant anatomici. Musculos esse testes attollentes omnes affirmant, binos in unoquoque inguine Galenus, et post eum Oribasius ac Arabes medici reperiri scribunt, quum unicus in homine observetur. Oriri autem ab osse ilium ac pubis, Galenus ac eius auctoritate fretus Riolanus; a ligamento musculorum abdominalium, Fallopius; a peritoneo Vesalius; a musculo obliquo interno uno principio, altero ab obliquo externo ac transverso Albinus, ab his et ligamento Fallopii Winslow, a transverso solo Santorinus contendunt. Musculosam esse tunicam, funiculum ac testem amplectentem, omnes scribunt.

Galenus cremasteres e simiis describit, atque cum eius descriptione exactissime congruunt; quod G. Fallopio cognitum fuit, in simiis enim ferme perpetuo geminos esse notat in obs. anatom. in edit. Vesalii pag. 718.

Cremasteres, scribit Oribasius ex Galeno, pag. 264. cap. 27. oriri partim a pube, partim ab ilium osse, et deorsum ferri per meatum, qui ad testem devenit; tum dilatari et erythroidem membranam complecti.

Musculos eos exhibui Tab. III., fig. 2. *o.p.q.r.s.* cremaster est, ortus ab osse pubis in Z., qui musculosus ac rubens, ubi testiculum attingit, se explicat, donec fibrae penitus in membrana communi testem ac meatum cingente evanescant.

Cremaster alter oritur ab osse ilium, quod altius quam in homine est, parte anteriore, communi cum ascendente sive obliquo interno principio *a.b.c.*, evanescit aequae atque alter in parte *d.e.*, hic eadem tabula fig. 1. *l.u.* notatur.

Recte itaque Galenus, dummodo hominibus non applicetur. Vesalius Fallopio respondet in examine obs. anat. p. 787., se in simia non caudata unicum tantum invenisse cremasterem, quod impossibile non est; id tamen animalium genus frequens non est, et non nisi rarissime habetur, quod ex Tulpio ac Tydone satis est manifestum. Galenus vero simias *medusae* elegit, quia hominibus magis similes sunt (de Administrat. anat. Libr. 1. Cap. 2. Per pithecum Tyson intelligi vult simiam sine cauda, in qua tamen manifeste et duplicem cremasterem et meatum Galenus describit.

Si talis desideratur, inquit Galenus Lib. 6. Cap. 1., cynocephalum vel satyrum, vel lyncem capere oportet. Satyrus procul dubio illud animal est, quod pygmaeum vocat Tyson, et a Tulpio sub nomine Orang-outang describitur absque cauda. In tali autem simia cremaster potest esse simplex, et Vesalius recte respondisse Fallopio. Galenus autem cur simias caudatas hominibus simillimas habuerit, non video, cum e Tysonis descriptione et anatome pygmaei constet, humanae structurae integerrimam esse imaginem. Patet id prae reliquis partibus in meatu, quem non detexit, in intestino coeco ac vermiculari, quo reliquum simiarum genus caret.

In equis, quod notasse non ingratum Lectori erit, insignes observavi esse cremasteres, infra ligamentum Fallopii, ortos ab sponneurosi, psoam ac iliaceum internum tegente, quae in eo animali fortis ac tendinea est.

Quotiescunque virorum cadavera seco, diversitatem in cremasteribus detego, raro admodum musculus hunc rubentem ac fortem video, plurimum pallidum, vix a membrana sive involucre, quod a musculo obliquo externo abdominis abscedere notavi capite primo, discernendum. Obiici posset, in locis nostris paludosis musculos esse tenuiores, et cadavera hominum emacidorum in demonstrationibus praepari: sed peregrinorum cadavera derelicta fere semper secamus; saepe etiam studiosius robustiorum ac violenta morte extinctorum pudenda examinavi, ut hos praesertim musculos distinctius ac clarius viderem, neque melius successit indagatio.

In genere musculos cremasteres ab obliquo interno ac transverso abdominis ortos vidi, cohaerentes tamen cum externo ac cum ligamento Fallopii, quemadmodum Fallopius eos descripsit in obs. anat. edit. Vesalii p. 718. Culter enim semper has partes extricat, quae involucre adeo inhaerent, ut pro lubitu musculus efformare queas, unde magnam illam inter anatomicos discrepantiam ortam conicio.

Winslow plane similem dat descriptionem in *Traité du bas ventre* §. 518. 565. 520.; in robustioribus autem cum funiculo spermatico anulum musculi obliqui externi abdominis transit.

Tabulae nonae figura prima ex homine robustissimo aqua per infortunium extincto cremasterem repraesentat. Patet, esse fasciculos carneos discretos, ut *a.b. c.b. e.d. f.i. g.h. l.k.* Inflato sacco herniae evidetiores erant, uti ex eiusdem tabulae figura secunda patet.

In reliquis herniosis Tabula IV. VI. et XIII. delineatis fibrae pallidae erant, et ab involucre vix disiunctae.

Rudi scalpello si quis has partes tractat, originem variam fingere potest; nunquam tamen a peritoneo oriri, ut Vesalio placuit, manifestum erit.

Cremasteres igitur musculi sunt, ab obliquo interno ac transverso abdominis orti, per involucre membranosum sub cute scroti dispersi, quocum velamentum efformant, funiculum spermaticum ac testes undique cingens, quod in herniosis crassius tenaxque fit, et ex multis sibi invicem impositis lamellis constare videtur, dum

chirurgia hernias attingimus. Velamentum illud facile a sacco herniae digitis separatur, firmiter autem adhaeret vasis spermaticis.

Tabula quarta id evidenter demonstrat involucre literis H.I.K.L.M., separatam a sacco herniae N.O.P., a tunica vaginali testis N.Q.M.

In tabulae quintae figura 1. cum vasis spermaticis cohaeret, peritonei saccus integer ab eo separatus ac reclinatus videtur.

Idem ex tabulae octavae figura prima et secunda patet.

In infantibus recens natis nunquam hunc musculus oculis meis distinguere potui, involucre autem modo dictum semper cultro a meatu peritonei separare licuit.

De cremasteribus feminarum veteres scripsere, atque per eos intellexere ligamenta uteri, quae rotunda hodie appellantur. Oribasius praesertim de iis agit, aliorumque sententias adducit in *Medic. Collect. Lib. XXIV. Cap. 51.* Riolanus *Anat. Cap. 29.* Oribasius contradicit, obscuritatem tamen non tollit.

Fallopius *Observ. anat. pag. 750.* sequenti modo se explicat: scias igitur, feminarum uterum geminos habere *equarum*, unum dextrum, ac sinistrum alterum, qui ipsum in feminis suspendunt, veluti in viris testes ipsos. Musculi non sunt, quamvis aliquando rubri et carnei videntur, sed sunt gemini processus nervi ab uteri lateribus orti, — qui ascendentes ad inguina, ac perforantes peritoneum, veluti in viris vasa seminaria faciunt, per foramen chordae musculorum oblique descendunt egrediuntur — In extremo autem iidem processus saepe ita cavi sunt, ut insculptam membranam elytroidem referant. — Haecque cavitas sedes est, in qua feminarum ramex fieri solet, quemadmodum in viris ipsis. Addit tandem: Egoque opinor, quod, ut in femina omnes partes adessent, quae sunt in viris, ideo pro cremasteribus ac truncis vaginalibus a natura facti sint hi processus gemini.

Propter similitudinem igitur Fallopius ligamenta rotunda cremasteres appellat, simulque indicat, se hernias inguinales in feminis vidisse. Saccus enim sive dilatatum peritoneum annulos musculorum abdominalium transit iuxta ligamentum.

Simile quid Oribasius prodidisse videtur, se nempe chirurgiam exercentem in muliere herniosa propriis oculis vidisse intestina per easdem partes, veluti in viris, prolapsa in labium pudendorum, scrotum propter hernias referens. Concidit, inquit, cremaster laxatis vasis etc. id est, collapsus est herniae saccus etc. eodem modo, ut in viris.

Sufficiant haec de cremasteribus feminarum, scopus cum maximus fuerit, veteres illustrare, atque simul indicare, revera dari magnam inter utrumque sexum convenientiam, testiculo ac vasis spermaticis exceptis. Fallopius, ubi de peritoneo agemus, ulterius explicabimus.

CAPUT TERTIUM.

De Peritoneo.

Vetus est opinio, peritoneum sive interiorem abdominis membranam rumpi ex ictu, vel retento diutius

spiritu, vel sub gravi fasce, superiore cute integra. Cel-
sus Lib. 7. Cap. XVII. haec memoriae prodidit, addens,
id feminis quoque ex utero saepe evenire, praecipue circa
ilia. Cassius, qui Celso antiquior videtur, eam proble-
matis forma proponit sententiam, cur in rupturis ex ictu
natis abdomen non rumpatur, etsi ab exteriori sit parte,
quum ab interiore membrana praetensa (peritoneum
vocat,) rumpatur interim? Explicat deinceps et resolvit
quaestionem, peritoneum ductili tensione rigens scindi,
atque ossium fissuris comparat, quae citra vulnus accidunt.

Galenus postea, hernias sive intestinorum prolapsus
praecipue solo epiploï pondere in meatum descendens
fieri, docuit. Homines et simias huic incommodo maxime
obnoxios esse addit, et ideo epiploocomistas vocari, in
Administr. anat. Cap. V. edit. Charter. Tom. IV. p. 156. B.

Meatus ille, de quo hoc capite plura dicturi sumus,
ante Galenum fuisse incognitus, saltem eius nullibi mentio
facta videtur. Subrepsit itaque opinio, dilatatione atque
ruptura hernias fieri. Paulus Aegineta Lib. VI. cap. 65.
hanc distinctionem probe adnotat. Aëtius iisdem fere
verbis, rumpi ac dilatari peritoneum in herniis, scribit
in Tetrab. 4. Serm. 2. Cap. 23. Omnes Arabes, Galenum
eiusque commentatores ad verbum repetentes, eandem
opinionem fuisse amplexi.

Vesalii tempore anatomicae restaurata a pluribus exculta
fuit; plurimi Galeni partes tenere, maxime tamen ab illo
incensus fuit Vesalius, quem, uti veteres Galenum, recen-
tiores fere omnes ad initium Saeculi XVIII. usque secuti
sunt.

Peritoneum duplex statuente, ac integrum in homi-
nibus detegentes, ubi apertum est in quadrupedibus, di-
versam iterum opinionem fovere oportuit; nempe exte-
rius dilatari, interius vero rumpi in ramicibus, ut Bar-
tholinus Lib. I. Cap. 7.

Ruyschius e contra in Catalogo Rariorum N. VI. p. 151.
§. 1. defendit, evidentissimum esse, peritoneum nullo
modo in herniis rumpi, sed dilatari atque extendi; quam
sententiam secutus est J. Palfyn in Handwerken der Heel-
kunde 10. Hoofd p. 69., Munnicks in Chirurgiae Lib. 1.
Cap. 50., qui se nunquam peritoneum ruptum vidisse in
herniosis testatur. Barbette, licet aliorum opinionibus
seductus scripserit, rumpi peritoneum, credidisse tamen
videtur, dilatari, monet enim in opere chir. Cap. 7., ra-
rissime dirumpi, seque nunquam non, licet in maioribus
herniis, peritoneum solummodo dilatatum vidisse.

Nonnulli hodie de novo dubia movere conantur contra
ultimam hanc receptam opinionem.

Sed dantur aliae difficultates, quas dirimere neces-
se erit: scilicet quid de processibus peritonaei censendum
sit? quid de meatibus, quos Galenus primus e simiis
descripsit, et quos hominibus multi imprudentes attribuere
voluerunt anatomici. Meatus enim illos herniis ansam dare,
cum Galeno Fallopius aliique censent. Peritoneum e
contra perfecte clausum, immo freno constrictum esse,
Douglassius auctor est, ne herniis obnoxii sint homines.

Litium harum fontes sequentibus exponam ac penitus

dirimam; de peritonaeo, quantum ad has partes spectat,
primo agam.

Peritoneum Galenus in Administrat. anat. Lib. 6.
Cap. IV. et V. edit. Charter. Tom. IV. pag. 154. elegantis-
sime ac perfectissime descripsit, tunicam esse tenuis admo-
dum substantiae, quam alio loco Lib. 5. Cap. 6. pag. 120. F.
araneorum telis simillimam esse, sed simplicem ait.
Εἰς τὸν αὐτὸν τοῦ περιτοναίου ἀνδρῶν etc. Repetit iterum Cap. 4. Lib. 6.
esse *ἀπλῶς*; per quod intelligit, esse similem absque fibris,
qua in re hallucinari videtur. In animalibus, quibus
usus est Galenus, fateor, nulla fibra apparet; secus vero
in hominibus, apud quos in herniarum saccis evidenter
saepe apparet, constrictum esse orificium, id quod absque
fibrarum textura impossibile foret. In gravidis ac puer-
peris saepe fibrosam vidi texturam. Santorinus in Obs.
Anat. Cap. IX. §. V. observat, peritoneum non modo in
duas laminas discerni quam facillime, sed et geminarum
fibrarum ordinem perspicue se adnotare potuisse in puer-
peris. Fallopius fibrarum veram indicavit structuram
Obs. anat. apud Vesal. p. 758. Harum duplicem ordinem
depinxit Cowper sive Bidloo Tab. 52. fig. 1.

Comparat porro Galenus peritoneum cum continuo
circulo vel sphaera, quae similitudo verissima est. Du-
plicem vero esse hanc tunicam in omni circumferentia,
nullo modo innuere voluit, licet Douglas, in descriptione
peritonaei, Galenum in eius operibus duplicaturae huius
mentionem fecisse affirmet pag. 59. Ubi ille de mesente-
rio, vel similibus peritonaei processibus agit, peritoneum
esse duplex docet, quod Capite 4. Lib. VI. pag. 155.
Tomi IV. edit. Charter. E.F. et Lib. VI. Cap. 6. pag. 159.
fit, de qua duplicatura nemo, credo, dubitare potest.
Galenus autem cognovit, posteriorem ac inferiorem peri-
tonaei partem esse duplicem, quae vasa spermatica extra
abdomen feruntur, quae parte duplex mihi in omnibus
cadaveribus apparuit, et admodum distinctum a reliqua tela
cellulosa, quae a Winslow pro altera sive secunda mem-
brana habetur, cum internam veram peritonaei tunicam
esse ac simplicem, defendit. Ad Galenum redeo Lib. 6.
Cap. B. ibid. pag. 145, ubi meatum, de quo postea,
describit, id est, eam peritonaei partem, quae vasa sperma-
tica abdomen exeunt. Duplex ibidem propago perito-
naei efficitur, altera ad meatus generationem; altera, ut
sit indumentum vasorum, quae testem nutriunt. Hoc
modo videmus, et vera scripsisse Galenum, ac lites circa
duplicaturam facillime componi, agnoscit enim Galenus,
simplicem esse tunicam, sed cellulosam ei adhaerescere
fere ubique, meseraeum esse duplicatum peritoneum,
inter quam duplicaturam vasa, pinguedo etc. sita sint;
sed firmiorem membranam, testium vasorum indumentum,
esse propaginem quidem peritonaei, sed non magni istius
peritonaei in lumbis orti, quod nos internam peritonaei
membranam vocamus. Quae descriptio cum illa Winslowi,
quo maiorem anatomicum aetas nostra non vidit, con-
gruit, ut eadem plane sit habenda.

De processibus peritonaei non minus, quam de du-
plicatura eius, inter se convenire anatomicos diximus.

Recentiores omnes processus peritonaei vocant tunicae secundae externae, cellulosae a quamplurimis habitae, propaginem, quae vasa spermatica in viris, ligamentum rotundum in feminis cingit, atque velamentum dat, quod vaginale vocant. Galenus autem, a quo mutuasse omnes videntur eam denominationem, nusquam eam peritonaei partem vocavit *σπυλα*, sed ita appellavit meseraeum, sive mesenterii reliquasque peritonaei apophyses, quae intestina ambiunt; sic Cap. 4. Libro VI. etc. quas partes hodie processus vocamus, accurate admodum descripsit, sed iis *σπυλα*, sive propaginis aut sobolis, nomen indidit; uti patet ex Cap. 15. Libri sexti in fine.

Peritoneum grande, inquit, quod sphaerae cuiusdam modo constructum esse diximus, ad inguinum principia utrinque foramine pervium est, — duplex ibidem peritonaei propago efficitur, altera ad meatus generationem, ac si vas nullum esset deductura, altera vero ut sit indumentum vasorum, quae testem nutriunt, tanquam si ea per meatum aliquem non efferrentur. Semper adhibet vocem *σπυλα*; ulterius autem has propagines definit, meatum esse exiguum magni in abdomine peritonaei sobolem, *μικρὴν σπυλα* *σπυλα* *σπυλα*; qui autem ambit arterias venasque ad testiculos procurentes, non sane ab altero magno in lumbis peritoneo procedit.

Hanc descriptionem conformem inveniemus cum ea omnium auctorum, qui meatum cognoverunt, scilicet Nuckii, Bartholini, Blasii, Veslingii, Fallopii, Ruyschii etc.; illum etiam tunicam vaginalem appellant, sed immerito, ut ex sequente paragrapho patebit.

Galenus ex simiis duos descripsit meatus, sive poros ad inguina incipientes, ubi vasa spermatica abdomen exeunt, qui, uti ex ipsius verbis supra allatis abunde patet, propagines sunt peritonaei magni, quod idcirco ibidem perforatum est. Foraminum eorum etiam mentionem facit Lib. VI. Cap. 4. de Peritoneo edit. Charter. ibid. pag. 154. D.E. Peritoneum — circulum quandam referre videbatur, qui in aliis partibus laxos processus, in aliis foramina tantum obtineat. Stricte tamen loquendo non perforatum est peritoneum, sed propaginem oblongam emittit, cuius praecipuum angustum ac contractum ostium sive isthmum refert. Ita etiam Galenus, continuitatem omnis peritonaei eo loco expresse indicat.

Inspicere oportet tabulam primam, quae abdomen Cynocephali apertum, umbris distinctum exhibet, ac secundam, lineas et characteres exhibentem.

Foramen notatum est in dextro latero *a.* in sinistro *b. a.d.* ac *c.b.* vasa deferentia, *a.n.t.h.* vasa spermatica dextra, *b.h.h.* sinistra.

Peritoneum, antequam isthmum efformat, plicatum videtur, ac si valvulas efficiat *e.a.u.* et *t.b.s.*

Tabulae tertiae figura prima meatum integrum aëre turgidum exhibet, pellucet, licet cremasteribus ac reliquo involucre tectus, ita, ut testis ac vasa spermatica distinguere possint.

Eiusdem tabulae figura tertia meatum apertum mon-

strat, similiter quarta; in posteriori testis sinistrorsum, in priori dextrorsum inclinatus depingitur, ut abdomen in parte conspici possit, et constet,

Meatum intus continuum esse membranam, formantem laxum processum, veluti parvum mesenterium, intra cuius duplicaturum vasa spermatica ad testem descendunt, ut A.B.O.L.G. In G. apparet evidentissime duplicatura. Vas deferens a spermaticis vasis disiunctum similiter intra modo dictam duplicaturam decurrit.

Format insuper haec peritonaei propago tunicam testis propriam, albugineam.

Cum Galeni descriptione simiarum meatum convenire, evidens est; convenit etiam cum meatu canum, equorum aliorumque quadrupedum. Blasius, Tyson, anatomici Academiae Regiae scientiarum Parisinae, in simiis hunc meatum invenere, ac in aliis animalibus, similiter Nuckius, qui diverticula nova (quo iure, non video), vocat hos meatus; Verheyenus alique eos e canibus describunt.

In femininis autem simiis num adsint, Galenus tacet, saltem in libro de uteri dissectione edit. Charter. Tom. IV. pag. 176. nullibi ligamentorum tertium mentionem facit, neque meatum, qui ea concomitantur ad os pubis. In simiis ligamenta uteri rotunda adeo parva sunt, ut dignosci vix queant; credibile etiam est, Galenum horum animalium mares plures quam feminas secuisse. Adsunt autem meatus sive propagines peritonaei in femininis simiis, quemadmodum in canum femellis, sed desunt in pube eorum foramina sive ostia; aequae atque in maribus contracta sunt, et valvulis veluti obducta.

In quadrupedibus pluribus meatus existere vidimus, atque a Galeno hominibus attributos fuisse, manifestum est ex eius omenti descriptione Libro VI. Cap. 5. edit. Charter. Tom. IV. p. 156., qua omentum ad ossa pubis usque descendere in hominibus ac simiis docet, atque inde Epiplocomistas, id est, omenti gestores, plerosque homines dici addit. Idem hernia affectos sic tunc vocari docet, quando omentum meatui ad scrotum descendentem incidat.

Vesalius in viris agnoscit hanc peritonaei propaginem, quam processum merito peritonaei vocari scribit Lib. V. Cap. 15. pag. 447., eamque sic a peritoneo prodire, quemadmodum scrotum a cute nascatur, figuram etiam nostrae e simia depromtae similem dat in figura XXII. quinti libri, in utroque latere.

Fallopius similiter meatum in viris agnoscit, Vesalium tamen, licet divinum ab ipso vocatum, reprehendit, quod meatus feminis negaverit. In Obs. anat. edit. Vesal. p. 758. enim animadvertit, meatus ad inguina a se in feminis reperiri, eosque deferre cremasteres, id est, ligamenta uteri, ad ipsam pubem: addit, feminas nunquam herniosas evasuras, si eadem viae quae in viris, in iis non reperirentur; quod tamen morbi genus eas saepe et saepius pati, non modo propria experientia comprobatur, sed antiquiorum testimonio adstringit, qui per sectionem hernias in feminis sanaverint. Deinceps pag. 750. senten-

tiam suam aperte explicat: „*cremasteres mulierum esse cecos, atque sedes esse, in qua feminarum ramex fieri solet, quemadmodum in viris.*”

Nuckius in adenographiae curiosae Cap. X. hos meatus, ut dixi, *diverticula nova* vocat, eosque hominibus, et viris et feminis attribuit eodem modo, quo in brutis inveniuntur; ac in utroque latere in femininis cadaveribus a se haec diverticula visa fuisse notat pag. 155.

Contrariam vero opinionem defenderunt alii anatomici, brutis quidem, neutiquam vero hominibus concedentes hos meatus. In canibus Verheyen Tractat. 2. Cap. 7. diverticula eo modo, quo Nuckius ac Galenus in simiis, agnoscit, in hominibus contra *aperturam nullam reperibilem esse*, aperte declarat, et clausum ibi esse peritonaeum, ubi in canibus diverticula, quae canales vocat, dentur.

Eduardus Tyson in descriptione pygmaei pag. 26. processus peritonaei sive meatus in canibus ac simiis caves inveniri, in hominibus vero neutiquam, adserit, rationem addens, quia erecti incedant, et herniis obnoxii sint. Patet etiam, eum in humanis corporibus nunquam hos meatus invenisse; pergit enim pagina sequente: „In

homine sylvestri, sive Orang-Outang, peritonaeum exacte humano simillimum erat, integrum, neque protuberans, tanquam si natura hominem silvestrem destinasset, ut erectus incederet.“

Douglass eodem modo hominum peritonaeum clausum in sano statu invenisse videtur; notat enim, peritonaeum tendinoso freno circa vasa spermatica constringi, depressionem inde oriri, usum autem huius freni esse, hernias praevenire; de peritonaco p. 54.


Winslow denique nullam horum meatuum in hominibus mentionem facit.


Et si mea aliquid valeat auctoritas, fateor, me in adultis sanis cadaveribus humanis, quorum numerus trecenta excederet, nunquam meatus invenisse; tria tamen excipere possem, de quibus statim dicturus sum.

Statuere itaque possumus, hominibus adultis naturales non esse hos meatus, et si, quod tamen rarissime accidit, observentur, vestigia esse meatuum, qui in infantia frequentes sunt. In iis, qui herniis obnoxii fuere, dilatio peritonaei, meatui non absimilis, detegitur, quae in quam plurimis a vero meatu differt et morbosa habenda est.



TAB. SECUNDA.





TAB. TERTIA.

Fig. I.



Fig. II.






Fig. III.





Fig. IV.






TAB. QUARTA.





TAB. QUINTA.






TAB. SEXTA.





TAB. SEPTIMA.





TAB. OCTAVA.

Fig. 1.




Fig. 2.






TAB. NONA.

Fig. I.



Fig. II.





TAB. DECIMA.

Fig. I.



Fig. II.




Fig. III.



Fig. IV.



W. H. Jones del.



TAB. UNDECIMA.

Fig. I.




Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.




Fig. IV.





TAB. DUODECIMA.





TAB. DECIMA TERTIA.

Fig. I.





Fig. II.



J. B. S. del. J. P. Sculpsit.



TABULA DECIMAQUARTA.

Fig. I.



Fig. II.




Fig. III.



Fig. IV.



Fig. V.




Fig. VI.



Fig. VII.



Fig. IX.



Fig. X.



Fig. VIII.




Fig. XI.



Fig. XII.



Fig. XIII.



Per Rhenslandicus.

